



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.D.LXXII. Sancti Patris Benedicti. M.XCII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**



verè sanctissimi Pontificis, & sanctæ memoriae Ludovici d' Estrada nostri, cuius potenti apud Numen & Numinis Matrem suffragio Joannes Archistrategus, uti omnes etiam alios conatus suos enixissime commendaverat, hanc præcipuè actionem commendatam voluerat, cæsa hostium viginti quinque millia, captis Tririmibus Turcicis centum & octuaginta, plurimis incensis & mensis, captivorum receptis viginti millibus.

Martinus Cupperus Abbas.

Claruit hoc eodem anno Martinus Cupperus, Mechliniensis Belga, ex Abbate Crispiniensis inter montes Hannoniæ, & Valencenas Canobij Episcopus Calcedonenſis & Archiepiscopi Cameracensis suffraganeus, Vir doctissimus & religiosissimus. Inter Montserratenses eminent PP. Ff. Philippus de sancto Jacobo, Andreas de S. Romano & Joannes Carupmannus, Viri de Ordine meritisſimi, vitæque exemplo Illustrissimi. *Ant. de Jeyes. &c.*

Franciscus Debehaut Abbas.

Ipſo anno extinguitur Franciscus Debehaut S. Dionysij in Hannonia Abbas meritisſimus, sanctæ memoriae Ludovici Bloſij ferventiſſimus discipulus, Magistri tam sancti piè æmulus, Reformationis promovendæ studiosissimus, sibi rigidissimus, desiderans ad mortem usque ut viveret, & moreretur Novitius. Verè factus, ut ille juxta Christi monita parvulus, ut in coelis magnus evaderet. *Ex monim. ejusdem Canobij.*

Meditationum PP. Societ.

Evocatur ad superos eodem anno Ven. mem. centenarius Senex Nicolaus Trivifanus, meritisſimus Camaldulensis familiae nostræ reformator. *Ex cit.*

Iterum lectissimæ Societatis Jesu Patres ut proprii Ordinis, tractant nostri, commendant bono publico, & ipsi Fundatores agunt, Jacobus le Roy Archiepiscopus & Primas Bituricensis, ex Monacho & Abbate Dolenſi, & Joannes Niquetius S. Gildasij Abbas, insignis Patrum prædictorum Collegium, in Urbe Biturigunt exstruentes & fundantes, ut de sexcentis alijs nihil dicamus tota Europa, sive integrè petros fundatis, seu majorem partem auctis & dotatis. *Claud. Robert. Annal. Bituricenses.*

IESU CHRISTIANNUS. M. D. LXXII.

Sancti Patris Benedicti. M. XCII.

Iterum de Societate Patrum Jesu, optimè merentur nostri, Balthasar imprimis, sancti usque hodie nominis, Princeps Fuldensis, qui eisdem Fuldam evocat, qui ipsius Capitulariumque gratulatione benignoque favore excepti, insigni deinceps Collegio accommodati, erectoque Gymnasio præfecti sunt. Conatusque deinceps Balthasar cum iisdem est, quidquid in eversionem Hæreticorum potuit; sed & quidquid erat, ad Cleri & suorum Religiosorum reformationem. *Annal. Fuld. Christ. Broweri &c.*

De isdem meretur Balthasar Abbas Fuldensis.

Inter alios Christi Confessores merito censendus, perillustris Vir Martinus Cupperus Crispiniensis in Hannonia Abbas, Calcedonenſis Episcopus & Suffraganeus Cameracensis hoc anno pro fide Christi exul, & in exilio mortuus, cum fidei causa, multa pericula & calamitates generoso animo perpeſſus, patrem tamen patriæ agere nunquam desisteret, ob ingentia merita, *Totius Hannoniæ singulare ornamentum & fulcrum appellatus, &c.*

Martinus Cupperus Abb. exul.

Fuit Venerabilis Ludovici Bloſij nostri amicissimus, & Reformationis ejusdem sedulus promotor, cui ob amorem disciplinae Regularis Matthæus Moullartius S. Gisleni Abbas interea, dum hic Legatione ad Regem Hispaniarum fungeretur, suum etiam Canobium regendum commendavit. *Ex monim. utriusque Monast.*

Purpurâ sacri & Generosi Martyrum sanguinis ornatissimus hic annus, quo quantum Catholici & Religiosi imprimis, & plurimi Ordinis nostri, ab Hæreticorum in Belgio armis perpeſſi sint, nemo satis explicaverit, nobilissimis Canobijs nostris, expilatis, succensis & funditus everſis ac Monachis miserè trucidatis, imo desideratissima Martyrij Laureola coronatis. Celebratur autem hoc ipſo anno, inter alios præcipuè constantia R. P. Cornelij Poldersmann, Monachi sancti Salvatoris Antuerpiæ, sacrae Familiae nostræ Cisterciensis egregij syderis, qui Cirizæ, am Hollandiæ, ad ejus Canobij Regimen à Superioribus missus, multa ibidem strenuè præstitit, tandem verò Monachis omnibus vel occis jam, vel inde profligatis, Cornelius mirabili

Cornelius Polderman Martyr.



constantia & Magnanimitate, perseveravit in suo Monasterio, potius mori eligens, quam vel Religionem mutare, vel locum deferere. Ac proin ab Hæreticis in furorem versis, atque vesano impetu in ipsum irruentibus immaniter trucidatus, ad triumphos Martyrum æternos evolavit. *Chryst. Henriquez. Aubert. Miræus. Annal. nostri Benedicti. &c.*

*IESU CHRISTI ANNIS. M. D. LXXIII.  
Sancti Patris Benedicti. M. XCIII.*

*P. Benedictus de Toco  
Montfer-  
ratis  
Monachus.*

**V**erè Redivivus sanctissimus Patriarcha noster Benedictus, in suo re non minus quam Nomine Benedicto de Toco Montferratensi Monacho, Regij generis viro ex Regibus Epiri, & Redivivi Alexandri Magni, atque ob hoc ipsum sic cognominati Scanderbegi sanguine oriundo, qui non minus gloriosis de seipso triumphis, quam ille de Hostibus Christianæ Fidei celebrer, omnes quasitos tam anxie & ambitiose à mundi cultoribus honores generose calcavit, & juratissimus carnis propriæ hostis, eidem uti mundo & Cacodæmoni quo ad vixit, bellum acerrimum indixit, ob egregias animi dotes, & eximias virtutes ac sanctitatis famam, non minus atque Generis dignitatem, à Philippo II. Hispaniarum & Indiarum Monarcha magno in pretio habitus & singulariter dilectus, proque meritis ad amplissimas promotus dignitates, neque Abbatij solummodo diversis, sed & Episcopatibus, sancto vitæ exemplo, singularique sua in rebus gerendis dexteritate prodesse iussus, sub hoc ferè tempus ad Pontificalem Biquensis Ecclesiæ Cathedram, mox ad Gerundensem, demum ad Jlerdensem evectus, ubi integerrimæ vitæ laudibus singulari creditarum sibi ovium cura, Divini honoris & cultus propagandi studio immortale comparans nomen, Ecclesiam Christi & Regnum demeruit univèrsam. *Ex Jesepho & diversis rerum Hispan. Script.*

*Fit Episcopus diversorum Episcopatum.*

Memorable autem ad æternitatem omnem, quod hoc ipso anno, rebus in Galliarum Regno Calvinistarum furore turbatissimis, DEUS ter Optumus Maxumus, in resuscitando primævo Benedictini Spiritus fervore, mirabiliter operari dignatus est. Egit

Commendatarium à teneris unguiculis Abbatem, Fulienfis celebri nomine Monasterij in Dicecesi Tolosana Joannes de la Barriere, præcipuæ Nobilitatis juvenis, & facillè juventutis in Chressiensi provincia princeps, ignarus patrimonio Sancti BENEDECTI inutilem sese & noxiùm incumbere, & sacris profanum uti & abuti, cum ipse splendide Parisijs ageret, ac de alieno fortunæ se conferre, ipsumque Canobium acuratus inspicere, remque suam curare; venitque opportunus, ducente procul dubio Numine, cujus suavissimis illicijs, ad rem summæ considerationis, gravissimique momenti disponebatur & præparabatur. Inicium rei, hoc ipso anno, ita se habuit; Inciderant in minus occupatum, Prior loci & Religiosi, tunc fortè animi relaxandi gratia, in campos vicinos exspaciaturi, cum ille Priorem perbenignè affatus se interim Priorem velle agere, & Fratrum cellas visitare dixit: omnia in potestate Illustriissimi esse, illo respondente. Nec mora: Conventum subiit & singula lustrans, in Prioris conclave incidens, libroque lustrans, eos inter S. P. BENEDECTI Regulam, tanquam rem sibi novam contuitus, summo cum gustu arripiens, & ut consideratius legeret, in Sella Prioris confidens, Caput II. de Abbate primum in oculis habuit, legit, relegit, miro verborum pondere, mirificè statim affectus, cum suum & nomen & vitam, ad amussim illius expenderet Regulæ, mox puderet, tæderet, usurpati Tituli, vitæ antea. Anxius proin sollicitusq; cellâ egressus, perque Dormitorium, sic sacri vocamus, meditabundus obambulans, dignâ demum ac denuo impulsus curiositate, libellum denuo arripere, idque quod forte fortuna primum occurreret, legere proposuit. Occurrit, movente digitos DEI manu ac providentia, caput Regulæ sexagesimum quartum: *De ordinando Abbate.* Quod & legendum & considerandum tanquam à DEO sibi præscriptum accepit, miratusque summo opere est, occurrissè nihil aliud, quàm quod Abbatem concerneret, facillè animadvertens, non tam fortuitum fuisse quod akera vice obtigerat, quàm Numinis voluntate destinatum

*Johannes de la Barriere Abbat Commendatarium.*

*Admiranda ejus vocatio.*

*Res lustræ dignissima.*